

Chemia  
373

Chemia.  
373.

~~Phyto. 37745.~~  
Phytoph. D. 176.

1098.





6624

MAGNI LAPIDIS

# NATVRALIS PHILOSOPHIA & vera ars

per

IOANNEM SAIGNIER

Lutetianum in opus deducta

& filio suo



## C A R O L O

loco inæstimabilis thesauri testamento relicta , & in agone mortis propria manu subsignata.

PARISIIS

ANNO DOMINI 1632. Die 7. Maij.

—•—•—•—•—•—•—•—

B R E M Æ

Typis & sumptibus IACOB: KOEHLERI  
ANNO M DCLXIV.

МАКИЯЖ

РАСВЕДАНИЕ

БАСНЯ

УЧИЛКА МИЧАСЬ

СЛОВО О СВОЕМ

СВОЕМУ

ОДНОГО

СЛОВО О СВОЕМ



Hic incipit verus tractatus, docens  
compositionem nostri Elixiris tam albi quam  
rubri, quo transmutari queunt omnia me-  
talla in verum aurum & ar-  
gentum.

Ac primo quidem traditur Elixir ad album & est

CAPUT. I.

**A**ccipe in nomine Domini sal gros-  
sum, quod ex mari venit, & ejus ac-  
cipe magnani partem, & contunde  
tenuiter in mortario lapideo. Dein-  
de lumen cucurbitam vitream, & sal  
tuum impone & affunde aquam claram fontanam,  
in qua sine sal tuum resolvi in aquam claram. Ubi  
jam totum liquefactum & clara aqua effecta fue-  
rit, tum distilla per filtrum, hoc est, lancā simbri-  
am albam, & ingere, ut una sui parte in aquam, al-  
tera vero in præpositum vitrum propendeat, in  
quod aqua guttatum distilletur, quæ per filtrum

A 2 deci-

decideredebet, donec sit clara instar argent. Cúmque jam aqua in vitrum stillare plané diesierit, videbis, an sit valde clara nec ne? Si non: tum distilla in aliud vitrum per filtrum, donec ita clara sit, ut argentum. Quando sic erit, tunc impone in phialam sive pateram vitream, & pone super fornacem arenæ, & sine aquam exsiccati, donec supernè cæperit converti in sal album. Accipe tunc ollam lapideam, vel alia ad eam rem parata vasa ex vitro, vel terra Coloniensi, ex qua urcei potatorii fiunt, & injice sal tuum cum aqua, quæ adhuc reliqua fuerit, & pone super fornace in arenam, & sine evaporare sensim, cum baculo semper movendo, donec materia sicca fuerit, aliás fieret massa concreta. Quando jam exsiccata est, bene tunc immitte in mortarium, & rursum contunde, ut antea, & tritam pone in crucibulum sive ureolum liquatorium, & pone crucibulum sive testam patulam cum sale sub tegula in furno probatorio, postquam bene calefactus fuerit & sine candesceri in igne. Et quando bene incanduerit ad rubedinem, tum vide, num à posteriori parte calidius sit vas, quam ab anteriore,

teriore. Quod si ita sit, tum verte cum forcipe partem anteriorem in locum posterioris. Ideo- que tantum unum crucibulum sive testam im- pone in fornacem, ut eo rectius possis regere. Ubi ad rubedinem plenè incanduerit, extrahe paropsidē sive testam, & è vestigio impone aliam sale repletam, & calcina igniendo. Hoc facies, donec omne tuum sal sit calcinatum. Quando totum calcinatum fuerit, tunc iterum pone in mortario lapideo & rursum contunde, in mo- dum farinæ mirutissimæ, sicut prius fecisti, & postea iterum ad calcinandum pone, ut can- defiat bis aut ter, & rursum contunde, & ite- rum pone ad calcinandum & cande faciendum septies, priusquam in aqua fontana rursum resolvas. Tum solutum iterum distillabis per filtrum, donec aqua clara fuerit instar argenti. Quando ita clara est, tum pone ad siccandum su- per fornace in arena, donec iterum sal factum fuerit, esimper movendo cum baculo, ut prius. Quando jam iterum sal factum fuerit, tum po- ne rursum ad calcinandum in fornacula pro- batoria, ut fecisti jam antea. Cūm igitur te- stæ omnes cum sale bene ignitæ fuerint, tum :

A 3

extrahe

enmo

extrahe & concunde tuum sal cursum in pulv-  
 rem , & pone iterum ad solvendum in aquam ,  
 & distilla iteratō per filtrum , ut fecisti antea .  
 Hoc toties factitabis , id est , in aqua solves ,  
 per filtrum distillabis , evaporabis & in sal ex-  
 siccabis & rursum ignies in fornace probatoria  
 sub tegula sine intermissione , donec totum sal  
 tam pingue & unctuosum factum fuerit , ut in-  
 candefacta lamina argentea liquefacat instar ce-  
 ræ . Quod si nondum ita fuerit , cūm id pro-  
 bas , tum necesse est , id rursum solvas , per phil-  
 trum distilles , & congeles ac ignies , donec  
 ita fuerit . Et cavebis in calcinatione salis ,  
 ne ullo modo inter calcinandum fluat , alio-  
 quin tuum opus totum periret . Atque hoc te-  
 nebis pro secreto , cuiusmodi videlicet præ-  
 parationem oporteat sal habere , quod est The-  
 saurus totius mundi : alioqui ad optatum fi-  
 nem nunquam pervenies . Nam sine hoc sale  
 ita præparato non possumus ullum perfectum  
 Elixir tam album , quam rubrum conficere . Id-  
 circo , mi fili , qui secretum hujus salis & solu-  
 tionis illius , & congelationis , destillationis  
 & calcinationis cognoscere potest , ille novit  
 omne

omne secretum naturalis Philosophiae & Sapientum, hoc est, quomodo solvas, congeles, distilles, & calcines. Quia in hac arte non tantum opus est præceptis, & cognitione præceptorum & artis: sed etiam maximè opus est exercitatione, hoc est, quomodo rectè debeat solum solvere, ex arte distillare, perfectè congelare & calcinare: quia quod opificium est, id institutione verborum discere non possumus, ut illud etiam sequamur rectè, nisi videamus aliquem operantem in eodem opificio; & ita ex visione, & continuâ exercitatione ac probatione & imitatione tandem etiam ad istud opificium apti & idonei siemus; quod ex solis præceptis impossibile fuisset. Idcirco, fili mi, opus est, ut non tædeat te laboris in hoc sale, quum sine magnis sumptibus possis discere solvere, per filtrum distillare, congelare & calcinare; & in summâ, omnia opera, quæ in arte tibi sunt necessaria, peragere, ut cùm ad pretiosa ista opera perveneris, sis idoneus & aptus ad rectè & sine hæsitatione operandum, quod esset tibi maximo nocimento, si in talibus rebus operando demum discere velles, quia  
num.

tum facile aberrare posses , & omnes expensas sumptus & materiam perderes per solutionem aquarum &c. Quodtibi minimè accidet, quando in hoc sale experimentum cæperis & exercitatus fueris. Idcirco esto patiens , nec desistas operari , donec tuum illud sal reductum sit in eam formam ac conditionem , quam superius audivisti , id est , ut in lamina argentea ignita instar ceræ liquefiat , quia sine hoc sale ita præparato tuus labor est frustraneus ;  
 cùm sit clavis totius hujus artis.

## Cvpt. II.

*Docebit te cum eodem sale verum Elixir album conficere.*

**N**unc vero , Fili dilectissime , sume in nomine Dei altissimi illud à te præparatum sal , quantum volueris ad operandum ponere , nimirum secundum quod multum argenti vis ponere ad operandum . Tunc illud solves in aqua forti , quæ confecta sit ex duabus

duabus partibus salis nitri & ex una parte aluminis. Et quando jam tuum sal in aqua forti dissolutum fuerit, tum sumes tantundem argenti puri cupellati, quantum salis sumpseris, & hoc malloco percuties in laminas tenues & dissolves in aqua forti, aut in tali aqua, in qualis sal est dissolutum. Unumquodque debet seorsim solvi in peculiari vitro. Et quando jam omne solum est in ambobus vitris, tum utramque aquam claram confundas, sed scire debes, quod non plus aquæ debeas sumere, ad solvendum sal & argentum, quam ad solverendum requiratur. Tunc postquam aquas confunderis tua Luna dissoluta, hoc est argentum, petet fundum instar lactis. Tunc manibus commoveas, & si nas rursus fundum petere & operari, & tum natabit in superficie aquæ viridis, quam cautè effundes in aliam vitream ampullam. Et tum rursum recentem & novam aquam fortem, qua nunquam in opere fuit, infundes, & fac, ut antea comminovendo & de reliquis, donec rursum in superficie talis aqua viridis natabit, ut antea; quam rursum etiam effundes, & ad alteram in ampulla vitrea repones. Tunc

B

rursum

rursum infundas aquam recentem ac novam super tuam materiam, & fac per omnia ut prius. Atque hanc infusionem aquæ fortis & remotiōnem ac refusionem toties continuabis, donec omne argentum sit dissolutum, & donec nihil amplius in fundo resideat, sed omnis ista materia in claram aquam mutata fuerit, sine tilla residentia in vitro: alioqui tuum opus nihil valeret. Idcirco tam sæpe cum recenti aqua infundes, ac effundes, donec ambo sc. sal & argentum ita fuerint. Cùm igitur ambo in claram aquam redacta sunt, absque ullis fæcibus, tunc aquam claram infunde in vitream cucurbitam, aut in ollam distillatoriam, & impone alembicum supra cum receptaculo & lutes omnia bene ad invicem & permittas lutamentum tuum optime exsiccati, priusquam vas in fornacem ponas ad distillandum. Pone tunc cucurbitam tuam in bal. Mar. & in lebete cum aqua, sed ad extremitates tui vitri debet alligatus esse plumbus annulus, ut pondere plumbitulum vitrum immotum stet atque maneat, quod alioquin propter concavitatem suam caderet & frangetur. Postquam tuum lutamentum bene exsiccatum

catum est, tunc imponas ignem in fornacem & distilla initio igne parvo tuum phlegma, quod debet nullas vires habere, non aliter, quam alia communis aqua. Hoc quo rectius scias, immittit linteolum in orificium fistulæ alembici, ut suscipias in istud linteolum guttam unam atque alteram ex ista aqua. Quod si istæ guttulæ inceperint linteolum illud colorare aut flavefacere, tunc statim ignem ex fornace remove, alio qui spiritus istius aquæ fortis inciperent ascendere. Ideo oportet, ut bene prospicias & caveas, ne tuus ignis nimis incalescat ac ne intendantur, ut cum phlegmate non etiam aliquid spiritus de aqua forti una ascendat ac destillet, alioqui opus tuum corrumperes ac perderes. Postquam vero vitrum tuum & furnus tuus jam per duas horas refrixerint, tunc assume operculum vitreum, quod appositiè ac probè tuam cucurbitam claudat, & illud tuum operculum debes supra cucurbitam, in qua tua medicina est, optimè lutare cum cera alba, & deinde ponas eam supra fornacem in cineribus cum parvo igne, & ale tuam medicinam alimento sibi convenienti, & connaturali; id est, cum argento fino cu-

pellato, tam tenuiter, quām possibile est, in  
 laminas extenso & malleo percusso; quod in  
 particulas incisum in tuam ponas medicinam,  
 donec fuerit dissolutum. Et cūm solutum fue-  
 rit, impones adhuc parum, donec & illud so-  
 lutum sit, & sic deinceps semper in cineribus  
 permittendo vitrum, & cave, ne quid aëris vi-  
 trum vel intret, vel ex vitro exeat, i quām ma-  
 ximè potes. Hanc nutritionem cum suo nutri-  
 mento prosequere tam diu, donec nihil am-  
 plius cibi assumere potest, hoc est, donec in  
 tua aqua nihil amplius argenti dissolvi potest,  
 sed impositum in vitro per duos aut tres dies ma-  
 net in fundo planē indissolutum. Quando hoc  
 vides, tunc tua medicina est nutrita, ut infans  
 nutritur in corpore matris. Tunc sinas vas  
 tuum refrigerescere, & scias, quod sine hac nu-  
 tritione, Medicina tua non posset generare.  
**I**dcirco opus est, ut ita enutriatur, ut vim &  
 efficaciam generationis accipiat: alioquin im-  
 possible esset, ut generare posset. Cūm jam  
 frigefactum fuerit tuum vitrum, tunc colluta  
 illud bono lutamento, quod adversus aquam  
 durare potest, id quod peculiari capite postea  
 te do-

te docebo conficere , & tunc sinas tuum luta-  
mentum per se exsiccari , & cum bene exsicca-  
tum fuerit , tunc pone tuum vitrum in Balneo  
Mariæ ad putrificandum per tempus XL. die-  
rum ; & semper retine tuum Balneum in eodem  
calore , nempe ut sol æstivo tempore lucet : alio-  
qui nimio igne tuam Medicinam corrumperes.  
Quapropter videoas , ut tuum ignem in eodem  
gradu & tenore caloris conserves , quia id plu-  
rimum refert : & intra dies 40. tua Medicina  
erit dissoluta , & si forte nondum soluta foret ,  
tunc iterum pone in Balneo Mariæ , donec o-  
ptimè fuerit dissoluta & liquefacta tota : quia  
hoc est principale in toto tuo opere . Talis dis-  
solutio fit per calorem & humiditatem : & con-  
gelatur per frigus & siccitatem . Hoc punctum  
probé nota : quia si attinges hoc punctum , cla-  
vem attinges ipsius cameræ . Benedictus erga  
se & alios , qui huc usque pervenire poterit !  
Est enim hic prænuntius ex optati & boni finis :  
quia in unaquaq , solutione & congelatione me-  
lior fit tua medicina uno gradu . Primo cadet  
uncia una supra septem uncias : Quando jam ite-  
rum resoluta erit & congelata , tunc cadet una

B 3

uncia,

uncia supra uncias quatuordecim; & tertia vi-  
ce supra uncias viginti octo, & ita deinceps sem-  
per conduplicando in unaquaque dissolutione  
& congelatione. Sed scire debes, quod solu-  
tio, quæ fit per calorem, non est perfecta con-  
gelatio, sed debet congelari in ampulla cum  
calore, stando videlicet super cinerem calidum.  
Ideo cum tua medicina est dissoluta in ampulla,  
tum exime ex balneo & sicca vitrum ab aquis  
balnei, & pone in cineribus, & vide semper,  
ut tuum lutamentum undique sit compactum, &  
si divisum foret per rimam, tunc renovabis lu-  
tamentum, & rursum obstrues, alioqui evo-  
larent inde nonnulli spiritus, qui tibi essent fu-  
turi nocumento. Quando tuum lutamentum  
jam optimè compactum est sine rimis & probe  
siccatum, tum impone ignem fornaci, necca-  
liidiorem ignem facies, quám ut sustinere trium  
ignem in cineribus possis, & sine ibi stare per  
24. horas, & intra hoc tempus 24. horarum  
debet congelari, & si nondum congelatum ad  
lapidem & exsiccatum fuerit, tunc sinelongius  
stare, donec perfectè congelatum fuerit. Tunc  
gaudeas, postquam congelatum fuerit, quia tunc

elixir tuum & medicinam præparasti, ut pro-  
 jectionem cum ea facere possis, quam facies hoc  
 modo. Sume in nomine Domini rubeum pu-  
 rum cuprum, de meliore, quod habere potes.  
 Huic cupro adime redundantem suam rubedi-  
 nem, quæ ad artem hoc loco nihil facit. Id  
 perages hoc modo. Percute cuprum tuum in  
 tenues laminas, quas in particulas diffinde &  
 obline sequenti pulte. Sume pulchrum album  
 arsenicum & tere id cum oleo tartari super lapi-  
 de instar saponis, & cum hac pulte obline cru-  
 stulas five particulas cupri, & sume sal mari-  
 num, prout ex ipso mari affertur & insperge ali-  
 quantis per fundum crucibuli liquatorii, & ob-  
 litas particulas cupri superpone unam juxta al-  
 teram & iterum inspergas sal marinum supra &  
 tunc iterum stratum ex laminis cupreis impone,  
 ac denuo stratifica cum sale, & sic procede, quo ad  
 crucibulum sit adimpletum; quo facto coope-  
 rias crucibulum cum frusto tegulae quam optimè  
 perlutando. Et quando lutamentum jam bene  
 siccatum est, tunc pone ad calcinandum ita, ut  
 desinas in prunis per 24. horas, quibus exactis  
 sine refrigerescere; postquam bene frigidum est,  
 tunc

tunc effringe atque aperi crucibulum, immitten-  
do cuprum tuum in calidam aquam & perfri-  
cando, quoad aqua tam dulcis exeat, quam su-  
perfusa fuit, tunc sine lamiinas exsiccati & con-  
tunde, quam minute fieri potest & impone in sac-  
culum lineum, undique bene consutum. Habeas  
postea optimam & tenacissimam argillam, quæ  
cum pillis bene sit incorporata, & obline tuum  
saccum omni ex parte, & ab ima parte acum  
ligneam per argillam in saccum intrude, ut fiat  
foramen, & cum argilla sicca erit, ponas in furno  
venti & urgeas igni fortissimo. Verum non  
debes oblivisci, quando pulveres tuos bene lo-  
tos & exficcatos in saccum pones, ut æquales par-  
tes salis Alcali, salis nitri & boracis adjungas &  
immisceas, alioqui non posses liquefacere.  
Quando jam cuprum tuum liquefiet, tunc con-  
sumpta acu lignea fluet per foramen factum in  
sacco & argilla, defluetque in crucibulum, quod  
infra saccum poni debet ad illud excipiendum.  
Fusum hoc modo cuprum pulcherrime erit de-  
albatum, & ad artem nostram idoneum, id quod  
sine tali purgatione non fuisset.

Quando jam projectionem facere volueris,  
tunc

tunc sume de hoc purgato **cupro** septem uncias  
 & funde in crucibulum , & cūm fusum fuerit,  
 tunc fac ut intensissimo igne bene currat in fluxu  
 & adde unciam unam argenti puri cupellati , &  
 cūm hoc quoque liquefactum erit, tunc immitt  
 unciam unam de tuo elixir sive medicina & mi  
 scē cum bacillo , & cave, ne ferro attingas , alio  
 -quin omnia corrumperes. Et quando jam be  
 ne sunt incorporata & colliquata omnia , tunc  
 effunde in virgam in infundibulum sive model  
 lum , & habebis Lunam sive argentum optimum,  
 tale quale in mundo esle potest , quod capellam  
 sustinebit & omnes probas , critque melius  
 quam ullum aliud, quod ex venis terræ sive mine  
 ra provenit, idque in omni justa veritate. Ethis  
 conclude secundum caput.

## CAPUT. III.

Ostendit nobis , quod , et si nostrum sal sit hujus artis cla  
 vis : tamen per se ipsum nihil operari potest , nisi  
 beneficio eorum , quæ sunt ejusdem inter  
 se Naturæ.

**F**ili dilekte , quamvis nostrum sal sit præ  
 cipua hujus artis clavis : tamen nihil boni  
 C posset

posset operari, etiam si in star butyri liquefactum  
foret: sed debet habere secum Naturam suam, id  
est aurum & argertum haberē secum debet, si ali-  
quam generationē debet producere. Idcirco pri-  
mū debet esse præparatum per se, & tum demū  
debet misceri cum argēto, aut cum auro, sicut au-  
divisti, priusquam super ullum corporum imper-  
fectorum id projicere possis, ad corpus perfec-  
tum inde faciendum. Quin imo cūm jam per  
se præparaveris, & postea cum argento puro  
cupellato miscueris, ut suprā ostensum est, tum  
debet corpus tuum, quod completum ac perfe-  
ctum facere vis, primū ita purum esse, &  
deinde cūm tali argento vivificari; Quia omnia  
imperfecta corpora dicuntur mortua sine auro  
& argento, quæ sunt viva & perfecta. Et cor-  
pus vivum, quod projicitur, vocatur fermentum,  
quod corpus imperfectum perficere de-  
bet cum Elixire sive Medicina. Idcirco de-  
bent omnia tria esse conjuncta, si nulla trans-  
mutatio beat fieri; Et sic concludo modum  
componendi Elixir ad album: deinceps  
sermonem de Elixire rubeo  
instituemus.

C A-



## CAPUT. IV.

*Designat nobis compositionem Elixiris rubei.*

**S**ume in nomine Dei de tuo præparato sale, quantum tibi placuerit, & dissolve id in sua aqua forti, quantum ea solvere poterit, ita ut nullæ fæces in fundo remaneant, sed ut omnia sint in claram aquam resoluta, Sed debes aliam habere aquam fortem, quam hanc, de qua antea diximus; quia hæc debet esse confusa ex duabus partibus vitrioli & una parte salis nitri. Deinde accipe purissimum aurum, quod septies cæmentum transivit, quod mox in alio peculiari capite docebo. Veruntamen debes tantum dimidiam partem auri sumere & duplicitam salis, hoc est, sumes auri partem unam, salis vero partes duas. Hoc sal in aqua forti dissolves, & deinde demum tuum aurum impones, quod etiam bene solvi debet in hac ipsa aqua. Postquam tuus sol jam dissolutus fuerit, tum pones tuum vitrum super cineres calidos,

C 2

&amp; sic

sqm

& sic sine stare, quoad omnia in claram aquam fuerint resoluta, tunc, quod clarum est, effunde, & aliam aquam refunde super tuum aurum, donec iterum in claram aquam abierit, & effunde, quod clarum est, in aliud vitrum, sic procedendo, donec nihil infundomaneat indissoluti. Postea eodem modo operare, ut in albo Elixir confiendo es operatus. Et abstrahē phlegma in balneo Mariæ tali calore, ne quid transeat, quod vim ac virtutem aliquam spiritus secum habeat, & eodem modo facies, ut in albo fecisti. Et debes Medicinam tuam alere cum sua propriā natura, id est, cūm suo auro, quod septies per Cæmentum pertransiit, id quod tenuissimé laminabis, ac deinde tuam Medicinam cum eo ales, quantum ferre potest, in cineribus calidis. Postea pones ad putrefaciendum per dies 15. in Balneo sine auctione ignis; aut tam diu quoad bene clarum erit. Tunc congelabis in cineribus calidis, quod siet 24. horarum spatio; eodemque modo procedes, quo fecisti in compositione albi Elixiris. Et in prima solutione & congelatione cadet una uncia super septem uncias: & secunda vice cadet una super

super 14. in tertia super 28. & ita porró semper conduplicando. Sed rubrum hoc Elixir non facit projectionem , nisi super argentum purum , & id quoque debet prius esse præparatum , adeo ut sit instar auri ponderosum , & sine ullo sono , nec quicquam ei desit , nisi color & fixatio , quam ei nostrum Elixir dabit cum Dei benedictione.

## CAPUT. V.

*Quod nos docet , quomodo projectionem facere debeamus cum nostro rubro Elixir.*

**D**ilecte fili , scire debes , si transmutare volueris lunam , id est , argentum in sollem , id est , in aurum , quod debes accipere argentum cupellatum purum , quod præparatum est , ut antea scripsi , nimirum ut sit sine sonitu , & grave in pondere , quod te præparare docebo in capite peculiari . Hujus argenti præparati postea sume uncias septem , quas liquefalias in crueibulo , & ubi liquefactum fuerit , addes unam unciam auri , quod septies

C 3

transfivit

transivit per cæmentum , quod deinde te conficerem docebo : quia nullum in toto mundo aurum ita purum est , purumque quod in nostra arte possit esse utile , nisi ita sit augmentatum in colore , quod fieri nequit , nisi beneficio & virtute nostri cæmenti . Quando jam utrumque liquefactum fuerit , tum incorporabis cum bacillo sine adhibitione feret : alioqui rem corrumperes . Postquam aībo bene commixta sunt , tunc projicies unciam unam nostri Elixiris rubri supra , & bene incorpora ut antea , & tunc funde in canalem & invenies aurum purum . 24 . Charattarum , quod iustinet omnes probas & examina melius , quam ex ipsis mineris provenire queat in toto mundo .

## CAPUT. VI.

*Docet nos compositionem Cæmenti nostri ad exaltandum aurum in colore Cæmenti beneficio.*

**S**ume in nomine Domini de auro , quod haberi potest , optimo , & funde illud cum una uncia cupritubri , de pulcherrimo , quod haberi

haberi potest , & ad unam unciam cūpri sume  
 unam unciam auri de utroque æqalem portio-  
 nem. Quando jam ambo liquefacta sunt & fri-  
 gefacta, tum lamina tamen tenuiter , quām potes ,  
 ut non sint crassiores lamellæ coronato , quas  
 concindes forfice non majori forma , quām est  
 coronatus anreus , quæ frustula pone ad mace-  
 randum in aceto rubro forti de vino per 24. ho-  
 ras. Quibus elapsis sume optimas saracenicas  
 tegulas , ad solem exsiccatas , & exinde fac sub-  
 tilem pulverem per setaceum cribrandum , &  
 habebis sal commune , quod semel dissolutum sit  
 & per filtrum distillatum , ac semel candefactum ,  
 atque etiam pulverisatum , & per setaceum tra-  
 jectum. Deinde habeas vitriolum Romanum  
 rubificatum hoc modo , qui sequitur. Sume opti-  
 mum acetum yni rubri , quod distillatum sit  
 per alembicum , & in isto aceto tuum vitriolum  
 solve , & deinde per filtrum distilla optimè &  
 clarissimè , & pone ad evaporandum , id est ,  
 ut exsicetur , super cineribus calidis. Tunc  
 invenies tuum vitriolum per pulchrum , quod  
 pones ad rubificandum in nova olla figulina in  
 medio carbonum , quod movebis cum bacil-  
 lo &

lo & rubesiet colore sanguinis, postea refrigerare  
 scere permitte & pulveriza, ac trajice per leta-  
 ceum. Postea sume etiam viride æris, & solve  
 in aceto distillato, ac per filtrum exige & evapo-  
 ra & candefac, ut fecisti cum vitriolo. Iam su-  
 mebis tantum salis Armeniaci & solve in rubro  
 non distillato aceto, & de supra dicto pulve-  
 re sume æqualem portionem, & consperge cum  
 aceto, in quo sal armeniacum dissolvisti, ut tan-  
 tum de sale Armeniaco sit, quantum de cæte-  
 ris pulveribus. Postmodo fac stratum super  
 stratum de pulveribus tuis ac lamellis, ita ut par-  
 ticulæ laminarum se invicem attingant, & fac  
 hoc in crucibulo terreo. Quando jam tuas la-  
 minas contexisti cum pulveribus suprâ scriptis,  
 tum tegula crucibulum obtege, quæ huic rei fit  
 accommodata: Sed tamen pauxillum aeris ipsi  
 relinque, alioqui sal armeniacum frangeret  
 crucibulum. Quando jam lutamentum est ex-  
 siccatum, tum pone in fornace, & primis dua-  
 bus horis da ei parvum ignem: mox alteris dua-  
 bus aliquantò fortiorem, & ita gradatim ma-  
 jorem, donec candescat vas, & ita servabis in eo-  
 dem statu per 24. horas semper in candore ru-  
 bro.

bro. Exactis 24. horis refrigerescat furnus, & exemptum crucibulum aperi & invenies tuas laminationes in colore exaltatas prima vice. Scias item, dilecte fili, si velis opus tuum perficere in fornace Reverberii, tunc debes per dimidiam horam ignem carbonum dare, & reliquo tempore ex siccis lignis, ut sine fuino ardeat, & operari in furnis à terra exaltatis. Et hoc modo camentabis per septem vices cum similibus pulveribus, & singulis vicibus recentes pulveres assume, eodem modo procedendo, quo supra dictum est, nempe ut lepties aurum tuum liquefalias cum aqua li portione cupri, quanta est auri, & ita singulis vicibus camentabis, prout scriptum est suprà. Et singulis vicibus adjunctum cuprum exuretur, & in auro nihil remanebit, nisi in tanta cupri, auro semper in eodem manente pondere. Ita color auri erit ad eum modum exaltatus, ut nemo sit, qui aurum esse arbitrari posse, adeò altus erit ei color. Et indicio tibi sit, quod si tantum auri sic camentati projiceretur in tantam portionem argenti puri, quod prius donatum esset pondere auri & omni sonitu privatum, mutaretur in aurum coloratum. Sed consulo, ut id ne facias,

D

quia

quia liquefactum saepius in igne amitteret colorem , & fieret album , ut fuit antea , propterea quod nullum verum Elixir suprajectum fuerit . Idcirco suadeo , ut id ne facias , quia in fine suum Magistrum pudefaceret , & fortassis in magna vita discrimina conjiceret , quia venderet pro bono , quod in fine postea non inveniretur probum . Ideo caveas .

## CAPUT. VII.

*Quod ostendit nobis præparationem Lunæ , quomodo fiat gravis in pondere & sine sonitu ad instar auri .*

**D**ilecte fili , sume argentum cupellatum purum , & liquefac in crucibulo , & cùm fusum fuerit superinjice sulphur vivum hoc modo : Conficio aquam fortem ex solo vitriolo , in qua solve tantum salis Armeniaci , quantum aqua dissolvere potest : deinde colloca in cineribus calidis & immitte tantum vivi sulphuris in aquam illam , quantum salis Armeniaci injecisti , movendo optimè inter ambas manus , ut Medicinam movere solemus , nullumque sine spiri-

spiritum exire ex suo vitro, quod pones supraci-  
neres cum galea optimè lutatá anteposito Rece-  
ptaculo, & subiecto igne aquam edistilla: deinde  
sepone aquam istam, & optimè obstrue os sive  
rostrum galea, & ignem excita fortiorem: tunc  
fulphur & sal Armeniacum sublimabuntur in  
alembicum superius, quam materiam benè cu-  
stodias. Tunc injice de isto pulvere super tuum  
argentum liquefactum tribus vicibus, & in una-  
quaque vice bene incorpora cum bacillo, semper  
cavendo, ne quā ferrum adhibeas ad movendum,  
& ita in singulis vicibus argentum tuum fiet gra-  
vius in pondere & in sono mutū instar auri, & in  
unaquaque vice projice unam unciam supra de-  
cem, hoc est, si argenti habeas uncias decem, tuni  
singulis vicibus unam unciam ex tuis pulveribus  
injice, ac fortiter move, & si tunc argentum tuum  
nigrum fuerit, bonum erit signum, si nas requie-  
scere, postquam effuderis, & postea per ignitio-  
nem & extincionem fiat coloris cerulei, & de-  
inde si nas omnino frigefieri. Postea bullias in  
aurifaborum aqua tartari, quæ ex sale & tarta-  
ro confecta est, per unam horam, & albe-  
fiet, ut antea fuerit: & ita tuam lunam præpa-

D 2

raſti,

raſti , gravem in pondere , & mutam in ſono , ſicut debet eſſe ad recipiendum rubrum Elixir.

## CAPUT. VIII.

*Docet nos differentiam nostri Elixiris , & magni lapi-  
dis Philosophici.*


**D**ilecte fili , noſtrum Elixir tam album , quām  
rubrum vocatur lapis , & non lapis : quia  
ita loquendo non eſt res completa , ſicut  
lapis noſter Magnus Philosophorum , qui voca-  
tur MAIOR ; ſi quidem lapis iſte magnus eſt o-  
pus compleatum & perfectum , adeo ut inserviat  
ad omnia incompleta metalla transmutanda in  
verum aurum , & argentum , prout præparatio  
eius fuerit . Nam ſi præparatio illius facta fuerit  
cum auro , tunc in aurum transmutabit : & ſic cum  
argento præparatio facta ſit , in argentum trans-  
mutabit . Unum quodque enim generat ſibi simi-  
le · quem MAGNUM lapidem etiam ſuo loco  
te docebo post hac conficere , aspirante ſummo  
Numine . Lapis Magnus , qui ad rubrum præpa-  
ratus eſt , vocatur lapis Philosophorum major :  
& qui ad album præparatus eſt , vocatur lunaria:  
ſed .

sed Elixires nominantur lapis & non lapis. Nos  
 veró nullo alio nomine eos appellamus , quám  
 Elixir ex sale sive confectum ex sale , quia Eli-  
 xires sunt compositi ex sale , nempe grosso illo  
 marino sale , quod clarificatum est solutionibus ,  
 & congelationibus , prout supra dictum est , &  
 ex alio insuper sale , nimirum sale Nitri , quod  
 ipsi conjungitur , & homogeneitatur cum sale ,  
 quod est in intimis visceribus ventris argenti. Et  
 in rubro Elixir mutatum est vitriolum pro alu-  
 mine quod etiam est sal , quod se cum sale conjun-  
 git , quod est in intimis visceribus ventris auri ,  
 quando huic auro indita est tinctura ; quæ ipsi  
 deerat. Et si multi hanc conjunctionem salis hu-  
 jus intellexissent , ad perfectionem pervenissent :  
 sed quia non intellexere verbâ Philosophorum ,  
 qui dicunt , Noster lapis est lapis & non lapis , in-  
 telligendo hos Elixires , ideo isti indocti ad opus  
 non pervenerunt. Nominarunt etiam nostrum  
 sal naturæ , de quo antea dictum est , sal sapien-  
 tum , quando videlicet præparatum est : item  
 nostrum menstruum , quando id cum medicina  
 alitur , ut infans in corpore matris. Nominant  
 etiam R̄gem & nobile sal , & vivam aquam ,  
 oleum gratiæ , & pretiosissimam aquam , & o-

D 3

nnium

nnium secretissimum & omnium communissimum,  
quod Mercurium dissolvit : Et ipsum est Mer-  
curius Philosophorum , & dissolvit omnia cor-  
pora metallorum , & est Medicina , & primum  
principium lapidis , & est viva aqua , vivum sul-  
phur , & domina , & Magistra omnis salis. Et  
fine illo omnia reliqua nullum robur habent ad  
aliquid perficiendum. Solvit & dissolvit , &  
conjungit marem cum fæmina , & transmutat  
unam speciem in aliam , & facit ex corpore spi-  
ritum , & è converso ex spiritu corpus , quæ o-  
mnia requiruntur ad lapidem Philosophicum  
componendum & perficiendum.



## CAPUT. IX.

*Ostendit nobis , quomodo nostram aurum & argentum vi-  
va sint : at mineralia sunt mortua.*

**D**ilecte fili , scito , quod nostrum aurum &  
argentum viva sint , & quæ in mineris sunt ,  
sunt mortua. Ideo aurum terræ , non tam  
est bonum , quám nostrum aurum , quod nos be-  
neficio artis nostræ facimus. Nostrum enim  
aurum in se habet tria , animam sc. corpus & spi-  
ritum

ritum, sine quibus tribus nulla transmutatio fieri potest: sed omnia tria debent esse conjuncta, si quid boni efficere debent. Et scias, quod nullus ullam transmutationem instituere possit, sine certa corruptione corporum perfectorum, id est, auri & argenti, quia nos ad imimus spiritum perfectis corporibus per nostrum sperma, & si alio nomine vocaveris, per nostram aquam forte m. Et idem ille spiritus reservatur in matrice; id est, in nostro resoluto auro, quod etiam nostrum menstruum est; Et quando mulier conceperit semen illud, id est, sperma imperfecti corporis in suo menstruo in uterum suum, tunc nondum accipit vitam, priusquam infusa sit anima. Et priusquam nos animam insundimus, facimus, ut natura requirit, hoc est, nos homogeneamus hæc duo invicem, donec sint in claras aquas mutata, sine ullis fæcibus, & tum exsiccamus simplex phlegma, donec seni igne totum illud abstractum sit per balneum; aut per cineres, & deinde infundimus animam, id est, aurum & argentum, ex quo medicina alitur, adeo ut tum ad generandum parata sit sibi simile, ac deinde ponimus in putrefactione per spatium temporis super nominati. Tunc spiritus & anima sunt per-

perfecta, & copulatio facta est. Et quando tum projectionem facimus super imperfectum corpus, tunc spiritus assumit corpus, adeo ut tunc vocetur, spiritus, anima, & corpus, quod tunc vivum est. Hanc instructionem, fili dilekte, propterea tibi do, ut scias, quod nostrum aurum & argentum sint viva: & quæ in terra sunt, sunt mortua; & ut scias nostrum Elixir tam rubeum, quām album, nihil aliud esse, quām spiritum, qui quando projicitur supra mortuum corpus, quod projectione animæ vivisicatum est, quod tunc illud multiplicaretur & augmentaretur in virtute & perfectione & in se compleretur, quod ipsi per accidens in terra deerat, nimirum quod ipsi omnes morbi, quibus illud ipsum in terra insectum & contaminatum erat, adimerentur per nostram medicinam, & Elixir tam album, quām rubrum. Quod facimus hunc in modum: In nomine Domini, nos sumimus ex nostrâ terrâ, quæ est imperfectum corpus, & liquefacimus cum perfecto corpore, quod est nostrum fermentum, cum quo nostram pastram præparamus, & deinde superinjicimus nostrum Elixir, quod est noster spiritus; quod Elixir, perfectum & completum

pletum corpus facit , & vivum corpus vel metallum producit sive conficit. Sed Magnus ille lapis Philosophicus , quem in sequentibus te præparare & conficerem docebo , est tantæ virtutis , ut non solum mortuum metallum vivificet , & perficiat : sed etiam ex isto metallo faciat medicinam ad aliud corpus , transmutandum in perfectum metallum ; & hoc facit in instanti , adeo ut vocetur & verè sit thesaurus totius mundi.

Hicce absolvimus tractatum hujus libri , qui est de compositione Elixiris tam albi , quam rubri.

**Explicit tractatus prior.**

**E PO-**

POSTERIOR  
TRACTATUS.  
hujus libri.

*Docens nos veram compositionem Magni Lapidis  
Philosophici.*

CAPUT. I.

**C**harissime fili, ego manifestavi tibi omnem veritatem absque aliquid omittendo de compositione Elixiris; quod potius principium est & quasi introitus Magni Lapidis Philosophici, qui commutat omnia metalla in perfectum metallum, & perficit omne, quod in isto metallo perficiendum est, & transmutat omnia in autum 24. Carattarum. Quando metallum illud, quod mutarevis, liquefactum est, si tunc projeceris de suo fermento supra, id fit aurum, si lapis tuus ad rubrum est factus. Et aurum debet esse camentatum, ut supradictum

ptum est , & auctum in colore . Quod si de me-  
 tallo , quod vis transmutare , mille Marcæ sunt  
 solutæ , tum supra illud injicies de fermento , id  
 est , auro , & bene incorpora , tantum unam unciam , & quando jam optimè unita sunt , tunc superinjicies ex hoc lapide magnitudinem Ci-  
 ceris aut Pisii , tum scias , quod idem ille lapis omnes mille marcas metalli convertet in optimum aurum , quod in mundo est , adeò ut sit  
**24.** Carattarum , & transeat omnes probas , quæcunque institui possunt , melius ( inquam ) quám quod ex terra extrahitur . Et nostrum Elixir , de quo antè diximus , quod imperfectum sit , sed est principium albi lapidis Philosophorum , quando illud perficere vis , ut postea te docebo , tum etiam omnia corpora metallorum , transmutabit in verum argentum , sicut de rubro lapide dictum est , nempe quando tuum metallum , quod perficere vis , liquefactum est , tum superinjice unciam unam argenti puri cupellati , quod factum est in sono mutum , & grave in pondere , ut suprà dictum est . Et quando cum bacillo bene incorporaris , tum superinjice pisim magnitudinem de lapide albo tuo , tunc ille omnia simul transmutabit in

E 2

verum

verum argentum, melius, quám ex mineris terræ provenire potest. Et si de tuo lapide tam albo, quám rubro, projicias unam unciam super centum uncias imperfecti metalli, tum erit illud ipsum Elixir aut medicina, cum qua omnia imperfecta corpora metallorum poteris commutare in verum argentum vel aurum, pro ut opus ipsum institutum fuerit. Nam albus lapis nihil aliud quám argentum generat: Lapis autem rubeus nihil aliud quám aurum, & ejus projectio erit unum super decem mille, id est, si habetas decem mille uncias imperfecti metalli liquefacti, super illud non plus, quám unam unciam hujus postremæ Medicinæ injicies, & omnia illa in verum argentum aut aurum mutabuntur, melius quám ex mineris terræ provenire potest, transiens per omnes probas & examina, quæ institui possunt. Deinceps jam docebimus te compositionem amborum lapidum tam rubri, quam albi. Et primum à rubro auspicabimur:  
**P**oste a dealbo, qui vocatur lunaria, loquituri.

**C**A-



## CAPUT. II.

*Docens nos compositionem Magni lapidis.*

**S**ume, dilecte fili, rubrum Elixir, de quo superius actum est, & pone illud in putrefactione per dies 40. adeo ut tuus ignis semper in eadem qualitate consistat, nec sit calidior uno tempore, quam altero, sed sit semper noctu & interdiu in eodem tenore, quæ putrefactio fiat in Balneo Mariæ. Exacto hoc tempore tuum Elixir resolutum erit in claram aquam, siquidem ignem tuum bene rexeris, in æquali calore & eodem in vigore. Quando jam tuum Elixir in claram aquam solutum erit, tunc sublimatum Mercurium in eo solves, qui debet esse sublimatus ad eum modum, quem tibi peculiari capite post ostendam. Istius Mercurii sublimati tantam portionem in Elixire tuo solves, quanti ponderis & portionis est tuum elixir, semper præcavendo, quam optimè potest, ne tui spiritus effugiant. Tunc movebis intra manus sine apertione vitri: sed ne nimium moveas;

E 3

alio-

alioqui vitrum tuum in partes spirituum virtute  
posset dissilire. Deinde lutes tuum vitrum quam  
optimè fortè lutamento, quod in calore balnei  
non potest distemperari, id quod peculiari ca-  
pite postea te docebo, Deo dante. Quum jam  
lutamentum tuum exsiccatum est, tum rursum  
pone vitrum tuum in balneo ad putrefaciendum,  
per tempus 40. dierum, sicut antea; tenendo  
semper ignem tuum in æquali calore per totum  
40. dierum tempus sine illa diminutione caloris  
ignis, aut augmentatione, donec tempus sit  
elapsum. Peractis diebus 40. inspicias, num  
omnia sint dissoluta, nec ne? Si nondum sint dis-  
soluta, tum adhuc diutius in putrefactione po-  
nas, donec omnia prossus resolvantur. Quan-  
do jam omnia dissoluta fuerint, tum exime ex a-  
qua, & probè dispice, ne nimis calidè exi-  
mas; quia quando subitaneum sentiret frigus,  
in partes dissiliret. Quando vero jam frigefac-  
tum erit, tum sume & pone illud in cineribus  
ad congelandum: & facias cineres non calidio-  
res, quam ut possis digitum immittere, & te-  
nere infra in fundo capellæ, in qua cineres ja-  
cent, & inibi sine stare, donec exacti sint dies

12. abs.

12. absque eximendo in eodem vitro , in quo putrefactum est. Et prospice, ne resolvatur lumen-  
tum ; & si aliquá in parte dissolutum si-  
ve apertum fuerit, statim obline, & luta, ne  
ullo modo spiritus exeat. Exactis vero 12.  
diebus congelatum esse debet , si bene tum  
ignem rexeris : sed si non esset congelatum, tunc  
adhuc permittes stare usque ad perfectam con-  
gelationem. Et quando perfecte est conge-  
latum , tum lapis est perfectus , & est thesaurus  
totius mundi. Det Deus , ut eum hoc pacto na-  
ciscaris , & ita utaris , ut Domino Deo no-  
stro rationem reddere possis ad animæ tuæ salu-  
tem. Quando vero jam consequutus fueris  
hanc gratiam , ut perficeris hunc lapidem , tunc  
pro me Deum ores in mei recompensationem ,  
ut dignetur mihi Deus condonare peccata mea,  
& me in beatorum numerum reponere. Dile-  
ete fili , scias quod Mercurius iste vocatur fons  
& origo omnium metallorum , quod etiam in  
veritate ita est. Idcirco nulla potest fieri valde  
magna aut multiplicata transmutatio , nisi Mer-  
curius accedat. Fit quidem exigua augmen-  
tatio & transmutatio , ut in nostris Elixiribus  
videre

videre est , de quibus dictum est : sed non pos-  
 sunt ullam valde altam projectionem facere ,  
 quia in primá dissolutione & congelatione tan-  
 tum faciunt unum supra septem . At cùm Mer-  
 curius assumitur , & lapis ita perficitur , tunc  
 facit infinitam proje&tionem , ut anteā audivisti .  
 Ex quo apparet , quód Mercurius sit fons , ori-  
 go , & principium omnium metallorum . Id-  
 circó , chare fili , assumimus nostrum Elixir ,  
 & miscemus cum illo purificatum & sublimatum  
 Mercurium & homogeneamus ista duo inter se ,  
 & cum nostro purificato sale , quod nostrum  
 sperma est , colligantur tam arctè in unum , ut  
 nullo unquam tempore dissolvi ac disseparari  
 queant : sed adeo amicē se invicem amplectun-  
 tur , ut corpus animam retinet , siquidem ita  
 feceris , ut suprā scriptum est . Et quando hæc  
 tria , videlicet aurum , quod est fermentum ,  
 cum sale & Mercurio cohomogeneata sunt , &  
 simul cibata ac unita tunc efficiunt , ac perfi-  
 ciunt omnia , supra quæ projiciuntur . Nec  
 solūm defectibus & morbis metallorum meden-  
 tur : sed etiam , quod majus est , medentur omni-  
 bus inconvenientiis corporis humani , quando  
unum

enobiv

unum granum de isto lapi debibitur cum vino  
bono calido , ac deinde recumbas ad sudandum.  
Etenim patiens tunc statim sudabit non aliter ,  
ac si in aqua jaceret , & trium dierum spatio  
pristinæ valetudini restituetur , quocunque tan-  
dem etiam morbo detentus fuerit. Quare fe-  
licissimus ille prædicari posset , qui hunc the-  
saurum nactus , optimè eum custodire poterit.  
Non enim omnes sunt artium Magistri , qui se  
gloriantur esse , vel aliquid scire. Multi sunt ,  
qui artem attingunt , sed pauci sunt , qui ad  
optatum finem eam perducunt , quia fortè non  
est Dei voluntas. Sed tu , mi dilecte fili , no-  
li dubitare , quin , si omnia mea præcepta obser-  
vaveris , & cordis tui tabulis impresseris , quæ  
ego in hoc tractatu tibi tradidi , modò te con-  
tinuè in hoc libro exerceas , ad optatum finem  
pervenias : nisi Deus præcisè hoc nolit fieri.  
Quia ego tibi in hoc tractatu descripsi rectam ac  
veram artem , ita ut cogomet eam propriis meis  
manibus elaboravi & ad finem feliciter per Dei  
gratiam perduxī ; quemadmodum multis homi-  
nibus in hac urbe Parisiorum notum est : quam-  
vis hanc ipsam rem semper tecelaverim usque

F

ad hoc

ad hoc ipsum tempus , quod feci certas ob causas, quas nunc manifestare non licet: Idcirco esto bono animo & patienti , nec laboriste pænitcat. Laborando enim ad finem pervenies.: legendo & studendo nullus ad artem pervenit , sed labore. Studere tantum dat modum sciendi, quomodo nimirum debeamus operari , & naturam in suis operationibus sequi: ad finem & utilitatem artis dat operatio , quia non potest sutor speculando centonem addere calceo , sed debet manus adjungere , & laborare , donec ad finem perveniat



## CAPUT. III.

*Docens nos , quomodo debeamus Mercurium sublimare ad nostrum Elixir rubeum.*

**D**ilecte fili , sumas libram Mercurii & libram Vitrioli Romani , & pista vitriolum tuum, ut fiat pulvis , & deinde sumas libram salis communis , quod bis sit solutum , & per filtrum distillatum , evaporatum , & calcinatum,

cinatum, ut suprā dictum est. Tritos pulv-  
 res in lapideo mortario præpara, cavendo, ne  
 ferrum aut metallum adhibeatur, alioquin o-  
 mnia corrumperes. Cūm jam tuus Mercurius  
 cum cæteris pulveribus per continuatum agita-  
 tionis laborem permixtus fuerit, adeo ut non  
 ampliis conspicatur, tum madefacies forti a-  
 ceto vini, ut tantūm parūm sit madidum. Quan-  
 do jam rursum exsiccatum fuerit in sole, vel su-  
 pra ignem, tum impone tuam materiam in vas  
 sublimationis, qvod ex vitro confectum esse  
 debet, quia nulla alia materia est idonea, quām  
 vitrea. Et quando jam comixtura in vase est,  
 tum pone supra cineres calidos; ac primā vice  
 non exstruas magnum ignem, sed tantūm igni-  
 culum lenem, donec omnis humiditas exiverit:  
 & tamdiu etiam tuum vas finas patere in sumini-  
 tate rostri. Et quando videbis foramen vasis  
 sublimatorii, quod in superficie incipit albescere,  
 aut quando animadverti potest, quod ali-  
 quo modo tuus Mercurius incipit ascendere, tum  
 sis instructus panniculo repleto lanā cum, quo  
 obstrue foramen vasis sublimatorii quām opti-  
 mē poteris: sed vas tuum debet esse bene al-

tum , ne linteolum in foramine ardeat & con-  
 sumatur , quia tunc recluderetur . Quando jam  
 obturaveris vas tuum , tum adauge ignem pa-  
 risim per spatum duarum horarum , & deinde  
 per 4. horas adhuc majorem fac facias , & tan-  
 dem tam magnum , quam tuum vitrum perferre  
 potest sine fusione , & ita ignem continua in co-  
 dem vigore adhuc per 4. horas , & post finas fri-  
 gefieri . Et quando tuum vitrum & furnus re-  
 frixerunt , tunc aperi , & invenies tuum Mer-  
 curium in alembico instar nivis albæ ; pars vero  
 jacebit supra fæces , etiam admodum pulchra  
 & alba . Conjunge utrumque tam pure quam  
 potes , nempe quod superius ascendit & quod  
 adhuc supra fæces jacet . Ut vero jam possis  
 scire , num benè & rectè sublimaveris , appen-  
 das tuum Mercurium & videas quid , quantum  
 que ei decesserit : quia non plus unā unciā de  
 libra una deperdi debet . Quod si plus decessit ,  
 non rectè sublimasti , sed ab initio tuum ignem  
 nimis magnum fecisti , aut ultima vice nimis  
 parvum Si primum nimis magnum feceris , tum  
 aliquid de tuo Mercurio unā cum humiditate  
 avolavit , adeò ut exinde pondus tuum diminu-  
 tum

1777

tum sit; Et si ultima vice nimis parvum fecisti, ignem, tunc adhuc aliquid Mercurii apud fæces remansit, ex quo etiam pondus illius immunitum est. Ideo scias, mē ita coniperisse, quod non plus unā uncia decedat, si recte sublimaveris. Idcirco observa tuum ignem. Quando vero te recte sublimasse deprehendes, tum assump-  
tis recentibus pulveribus Mercurium tuum sublimatum cum eis permisce, ut antea fecisti, & rursus sublima. & sic sublimationem facies ad 7. vices omnibus modis, ut prius fecisti, & singulis vicibus post primam sublimationem, annutes quartam partem unius unciae, & non plus, si quidem feceris, ut antè scriptum est. Quando jam prædicto modo Mercurius sublimatus septies fuerit, tum paratus est ad ponendum in rubro Elixire, ut inde lapis Philosophorum efficiatur.

## CAPUT. IV.

*Docens nos sublimationem debitam ad Elixir album.*

**S**Cias, dilecte fili, quod sublimatio Mercurii ad album lapidem apti per omnia debeat

F 3

fieri,

fieri, sicut in præcedenti capite de sublimatione, quæ servit ad rubrum, est scriptum, excepto quod pro Vitriolo debes sumere Alumen de Rocha & sal nitri, & tuum præparatum sal, ut antea, & tum in omnibus fac, ut in præcedenti capite dictum est, sublimando septem vicibus, & tunc tuus Mercurius est completus & perfectus ad imponendum Elixiri albo, sive ad Elixir album.

## CAPUT. V.

*Docens nos præparationem albi lapidis super omnia  
autem milder autem corpora.*

**D**ilecte fili, accipe in nomine Domini Elixir tuum album, & pone in Balneo ad putrificandum per tempus 40. dierum ac noctium, & intra hoc tempus Elixir tuum erit omnino dissolutum in aquam claram, si tuum ignem probè rexeris in æquali calore: alioqui deberet longius in putrefactione sua stare; donec omnino in claram aquam dissolvatur, absque fæces ponendo. **Quando jam in claram aquam**

aquam resolutum est, tum ex sublimato Mercu-  
rio ad album adde tantum, quantum ponderat  
Elixir tuum album; Tunc unā Mercurium in-  
tra manus agitabis sensim & lentè, ne vitrum  
dissiliat, virtute spirituum; & tamen debet  
miceri moderatè movendo, & præcave, ne  
tuum vitrum ullo modo habeat spiraculum, ne  
spiritus tui avolent, quod opus tuum corrump-  
peret. Quando jam probè & moderatè move-  
ris, & miscueris, tunc pones bene latatum cum  
tuo lutamento, de quo dictum est in capite de  
rubro Elixire, ad putrificandum in balneo per  
tempus 40. dieruin, ut in rubro lapide fecisti,  
& intra hoc tempus dissolutum erit, si bene re-  
xeris ignem; quia in eo multum est situm. Quan-  
do jam dissolutum fuerit, tunc pone ad conge-  
landum, ut fecisti cum rubro lapide: tum con-  
gelabitur intra 12. dies in album lapidem Philo-  
sophorum, qui omnia metalla, quæ sunt im-  
perfecta in verum & nativum argentum trans-  
mutat, transiens omnes probas & exanimas  
quæ institui possunt, & melius est transi-  
gento, quod ex terrâ effo-  
ditur.

C A-



## CAPUT. VI.

*Est de lutamento pertinente ad tuum opus, de quo ante mentionem fecimus.*

**A**d conficiendum lutamentum, de quo antea dictum est, quod non distempereatur a calore aquæ aliud quod, & tuam vitrum custodit, ne diffingatur, quia adversus calorem ignis durare potest, sumito primum album ovi, quantum tibi sufficit, & conquatas, donec sit tenuissimum instar aquæ, quam materiam deinde per spongiam transire facias, & comprimetamdiu, donec sit instar claræ aquæ fontanæ. De ista aqua sumetibi, quantum sat erit ad tuos pulveres temperandos, ut sequitur. Sume pollinis molandinarii unciam unam: boli armeni quartam partem unciæ: sanguinis Draconis quartæ partis diuidium: Item unciam unam casci albi, à quo cortex establatus. Hæc omnia simul comminuas & transire facias per setaceum, quætransire possunt, & tum miscebis

scibiscum albumine ovi , & cum hoc lutabistua  
 vitra injunctis linteolis & circumpositis ; & si-  
 nas sponte siccari , priusquam inullo opere po-  
 nas. Hoc lutamentum servit ad alembicum su-  
 pra cucurbitam lutandum , & ad tua vitra ob-  
 struenda & occludenda , in quibus putrificare  
 vis , & solvere , nec non congelare. Deinde etiam  
 aliud lutamentum est , quod inservit ad vitra  
 implastranda , quæ magnum ignem perferre de-  
 bent , ne præ calore ignis frangantur , aut etiam  
 fundantur , atque ita opus tuum corrumpatur.  
 Sume ad hoc secundum lutamentum bonam ar-  
 gillam pinguem , ex qua ollas faciunt , & pa-  
 rum sanguinis Draconis ; Boli erit tertia pars  
 respectu argillæ ; & dimidiā portionem sume  
 calcis vivæ , quantum est argillæ ; unumquod-  
 que separatim in pulverem redige & per cibrum  
 clausum transire facias ; deinde contempera o-  
 mnia simul cum claro ovorum bene agitato , &  
 sume etiam sanguinis bovini aut ovium æqualem  
 portionem : postea sume rasuram de linteolis  
 veteribus , quantum ponderat tuus bolus , &  
 confundas omnia , & moveas cum bacillo , ut  
 fiat instar fermenti tenacis. Cum hoc lutamen-  
 to sub-

G

to sub-

-bor

to sublimatorium tuum ab inferiori parte im-  
plastrabis , qua ignem attingit ; itēmque vasa  
tua, in quibus tuam aquam fortem distillas ; quia  
contra fractionem defendit ea , & contra lique-  
factionem , & ad omnia uti potest , sub quibus  
magnum ignem habere oportet , quia nihil me-  
lius potes habere ad conservandum tua vasa con-  
tra ignem . Atque his satis mihi de lutamento  
scripsisse videor . In sequenti capite breviter  
partem philosophiæ tam moralis , quam natu-  
ralis attingam .

## CAPUT. VII.

*Quod nos docet intelligere Philosophiam tam moralem ,  
quam naturalem . brevibus verbis .*

**M**il fili , ego in hoc libello tibi declara-  
vi omnem intellectum Philosophorum ,  
tam ad rubeum , quam ad album , tam pa-  
ternè & simpliciter , quam potui , quia si brevio-  
ribus verbis te potuissem erudire , fecisseim ; sed  
non potuisses comprehendere . Ideo mihi placuit  
verbis significantibus hoc tibi declarare , ad te  
red.

dendum aptum & ingeniosum ad operandum,  
 ut in me non possis culpam derivare, si ad ve-  
 rum finem pervenire nequeas: sed tibi ipsi illud  
 imputes, & nemini alii: quia verè & sincerè &  
 verbis apertis omnia scripsi. Sed caveas, ne sis  
 similis hominibus, qui sibi persuadent, se o-  
 mnium artium Magistros esse: sed vix a limine  
 cas salutarunt. Itaque temet ipsum exerceas le-  
 gendo & studendo in hoc meo libro; omnia mea  
 verba cordis tui tabulis imprimas. Deinde hila-  
 ri animo operare, Deus tibi suam gratiam im-  
 pertiet, si ipsum rogaveris: quia ut supra scri-  
 ptum est, operando ad finem pervenies. Philo-  
 sophi hanc artem tam obscurè scripserunt, & tot  
 tantisque parabolis iuvoluerunt, adeò ut feiè  
 impossibile sit ad finem intelligentiae eorum per-  
 venire, nisi magna institutione aliorum Arti-  
 ficum; aut singulari Dei dono. Quod cùm ego  
 vidérem, volui id ipsum tibi apertis & claris ver-  
 bis post me relinquere, ne in aliquem errorem  
 incideres, sed ad verum operis finem pervenire  
 posses. Scias, dilecte fili, quod multi libri sunt  
 scripti à Philosophis, quos post obitum reli-  
 querunt, in quibus sinceram veritatem scripsè-

G. 2.

re,

re, sed admodum obscuro stylo; hic unum verbum; & illic aliud, ita ut multi in errores incidint, putantes se optimè illorum verba intelligere, quod tamen longè aberat. Ita, mi charissime fili, per amorem immensum, quo erga te affectus sum, volui hoc tibi indicare, ut tibi caveres ab obscuris Philosophorum scriptis: sed in hoc meo libello te exercebis, quia illi te in multos errores ducerent. Sed rogo propter animæ tuæ salutem, ne pauperum sis immemor. Ego tibi declaravi per meam portionem cœli, id quod mei oculi viderunt, meæ manus operæ sunt, mei digiti extraxerunt: Et scripsi hunc ipsum libellum meis propriis manibus, & subsignavi meo nomine, cùm essem in agone, Anno 1632. 7. Maij.

Joannes Saignier.





Chem. 373.

